









21

Defektes Exemplar; es fehlt P. IV.



ar

821.6.

# BIBLIOTHECÆ ARABICÆ

P. II.

DEO JUVANTE  
P R A E S I D E

## CHRISTIANO FRIDERICO SCHNURRER

LITT. GR. ET ORIENTAL. PROF. P. O.  
ET DUCALIS STIPENDII THEOLOGICI EPHORO  
PRO OBTINENDIS MAGISTERII PHILOSOPHICI HONORIBUS

DIEBUS AUGUSTI MDCCC

PUBLICE DEFENDENT

JACOBUS HENRICUS KRAZ *Niirtingensis*  
AUGUSTUS LUDOVICUS SCHELLING *Bebenhusanus*  
AUGUSTUS FRIDERICUS NANZ *Stuttgardianus*  
CAROLUS AUGUSTUS LUZ *Bernlocensis*  
VICTOR HENRICUS LECHLER *Supra-Bebingensis*  
FRIDERICUS CHRISTIANUS SCHOLL *Braitenbergensis*  
CAROLUS CHRISTIANUS GRATIANUS *Neostadiensis*


SERENISSIMI STIPENDIARI ET MAGISTERII PHILOSOPHICI CANDIDATI.

TUBINGAE LITTERIS HOPFFERIANIS.



# BIBLIOTHECA ARABICA

B. 111.



## CHRISTIANO FREDERICO GODINGER

LIBRARIUS ET LIBRARIÆ PROFESSIONIS  
ET LIBRARIAE PRAESES UNIVERSITATIS HONORABILIS  
PRO CENSORES MAGISTERIANI THEOSOPHICI HONORABILIS  
CENSORES MAGISTERIANI THEOSOPHICI HONORABILIS

YACOBUS HERIBERTUS KIRKES VAGINAE  
VINCENTUS LUDOVICUS SCOTTIUS DEDICATI  
HANSIS RHEGEDAUS MAX. SCHAFFHAUSEN  
CAROLIS AUGUSTUS TIECKIUS  
ALICIOR HENRICUS RECHIUS - BURGESS  
FREDERICUS CHRISTIANUS SCHOLT. - MUNSTER  
CAROLUS CHRISTIANUS GROTHUS MUNSTER  
7-8

TRIBUNAE LIBRARIAE HOPPELIERI



## شِنْرَةُ الْأَرْبَعَةِ مِنْ كَلْمَةِ الْعَرَبِ

Hoc est Proverbia quædam Alis, imperatoris Muslimici. et Carmen Togräi, poëtæ doctiss. nec non dissertatio quædam Aben Sinae. Lugduni Bat. ex officina Bonav. et Abrah. Elzevir. 1629. 8.

Liber totus arabicus est nonnisi 20 foliorum, absque omni præfatione et mentione editoris. Constat autem, Jac. Golium esse qui edidit, in usum scholarum suarum. Sententiae Ali, pag. 3—19. litterarum ordine collocatæ, signa vocalium et alia addita habent, habet eadem quoque Tograi carmen pag. 20—29. At Ibn Sinae Sermo philosophicus de Deo, pag. 30—35. adjumentis omnibus ad legendum destinatus est. Accessere Excerpta nonnulla ex variis poetis.

Extat libri versio Francica: L'Elegie du Tograi avec quelques sentences tirées des poëtes Arabes, l'Hymne d'Aviscenne, et les Proverbes du Chalife Gali. Le tout nouvellement traduit de l'Arabe. Par Pierre Vattier Docteur en Medicine et Secrétaire Interprète du Roy en langue arabe. à Paris. 1660. 8. pagg. 80.

4

In libro, *The history of the Saracens*, by Simon Ockley,  
the third edition, Cambridge 1757. 8. ad calcem volum. II.  
pag. 335—348. extant Sentences of Ali, translated from an  
authentick arabick Manuscript in the Bodleyan Library at  
Oxford. Verum quas Ockley transtulit *Sententiæ non sunt*  
*eædem, quas edidit Golius.*

Bibliothecæ Criticæ Vol. I. part. II. (Amstelod. 1777. 8.)  
Henr. Alb. Schultens, referens de Abulfedæ Aegypto ex edi-  
tione Jo. Dav. Michaelis, pag. 80. hæc scripsit: — Ali,  
filius Abu Talebi, quem eruditione Augusto, clementia et  
benignitate Trajano, philosophiæ et pietatis studio Marco  
Antonino philosopho, fortitudine, justæ caussæ patrimonio  
et exitus tristi ratione Pompejo parem, eloquentia omnibus  
majorem judicavit Reiskius (diss. de Principibus Mohamme-  
danis, qui aut ab eruditione, aut ab amore litterarum incla-  
ruerunt) et recte judicasse fatentur quicumque cum histo-  
riam Mohammedanam horum temporum cognoverint, tum  
ipsa præclari viri scripta evolverint. Nam præter parcemias,  
sive dicta ejus sententiosa, quorum est magna pars a Golio  
edita Lugd. B. 1629. major vero adhuc latet in MSS, super-  
sunt etiam orationes, et orationum fragmenta, digna sane,  
quæ, ob singularem eloquentiam atque copiam, ex bibliothe-  
carum latebris in lucem expromantur; quod a viro harum  
litterarum peritissimo brevi factum iri, nobis spes adfulsit —  
Quis sit, quem innuit Schultensius, haud constat: sed va-  
nam adhuc fuisse spem illam novimus.

Assemanni, Catalog. Biblioth. Medic. (Florentiæ, 1742.  
fol.) referens de codice arabico, qui continet Apophthegmata  
*Ali centum*, cum paraphrasi Persica et Turcica, hæc refert:  
„Hoc quidem opus, cuius maxima est apud omnes Mosul-  
manorum sectas existimatio, ex Arabica lingua in Turci-  
cam, ac Persicam, Pehelevianam et Agiamensem, sive anti-  
quam ac recentiorem, octingentis ferme abhinc annis trans-



latum fuisse, referunt Mahomedanarum rerum scriptores. Ejus aliquot sententiæ superiori sæculo apud Batavos Arabicæ et Latine prodierunt; illis vero præstantiora sunt Apophthegmata, quæ in hoc codice pag. 45 et 46 leguntur."

Carminis Tograi editiones habemus complures.

Lamiato'l Ajam, Carmen Tograi, poetæ arabis doctissimi; una cum versione latina, et notis praxin illius exhibentibus: opera Eduardi Pocockii, LL. Hebr. et Arab. Profess. Accessit tractatus de prosodia arabica. Oxonii 1661. 8.

Textus arabicus, vocalium adjumento instructus, comitem habet versionem latinam, pag. 1—21. Sequuntur pag. 1—233. Notæ, quæ omnes versantur in declarandis singulis vocibus, ad juvandos tirones: in quorum gratiam accessit etiam Index omnium dictionum arabicarum, quæ vel explicantur, vel alias occurrunt in Notis. Præmissa est oratio, a Pocockio, cum prælectiones suas in poëma Tograi auspicaretur, habita, in qua de linguae arabicæ ortu, progressu, perspicuitate, copia, usu denique multiplici disseritur. Editionem libri, auctore annuente, curavit Samuel Clericus, academiæ Oxoniensis architypographus, qui et præfatus est, et suum ipsius tractatum adjunxit, inscriptum: Scientia metrika et rhytmica, seu tractatus de prosodia arabica, ex authoribus probatissimis eruta. Oxonii 1601. pagg. 170.

Textum Pocockii cum ejusdem versione et Notarum magna parte Jo. Frid. Hirt. repetiit, primum in Institutionibus arabicæ linguae. (Jenæ 1770. 8.) pag. 400—426. deinde etiam in Anthologia arabica (Jenæ 1774. 8.) pag. 119—174. Notarum magnam partem, omisso textu, repetiit Wahl in Magazin für alte, besonders morgenländische und biblische Litteratur. Erste Lieferung. Cassel 1787. 8. pag. 59—76.

Carminum arabicorum specimen I. Scholis suis arabicis  
destinavit Guilielmus Frid. Hezel, Philos. D. — Lemgov.  
1783. 8. plagg. 2.

Ex Hirtii Anthologia exscriptum est poëma Tograi una-  
cum tribus aliis minutis carminibus a Reiskio ad Hirtium  
profectis, addita eadem, quæ ibi extat, latina versione. Post  
primum hoc specimen adhuc non successit aliud.

Poëma Tograi, cum versione latina Jacobi Golii hactenus  
inedita. Quam ex MSto Goliano præfatione, et notis quibus-  
dam auctam edidit Matthias Anchersen. Trajecti ad Rhe-  
num, 1707. 8. foll. 34.

Versionem Golii ineditam ex Hadriani Relandi bibli-  
oteca nactus Anchersen, Danus, brevi post in academia Haf-  
niensi professor philosophiæ factus, existimavit, "salva Ma-  
nium Golianorum reverentia — ipsius sunt verba in præfa-  
tione — fieri non posse, ut cum blattis et tineis luctaretur  
illud, quod impigre eluctatu fuerat orientalium laborum  
Hercules Golius." Versioni adjunxit quoque sermonem ara-  
bicum, repetitum ex editione Lugdunensi, anni 1629. sed  
denudatum suis vocalibus. Notæ haud infrequentes, nec  
vero permagni ponderis, versantur potissimum in enotanda  
utriusque editionis, Lugdunensis atque Oxoniensis, diversi-  
tate, quæ nonnisi in exiguis rebus cernitur. Et illam quidem  
constanter Erpenianam dicit Anchersen, haud memor, Er-  
penium anno 1625 haud superfuisse.

Extat de libro hoc brevis relatio in Actor. Erudit. Suppl. Tom. IV. (Lipsiæ 1711.) pag. 156. ubi hæc le-  
gas: "Durum fatum, quod nobis haud facendum, experta  
est hæc editio, quandoquidem exemplaria, quæ Cl. Editor

omnia, exceptis tantum quinque aut sex adhuc extantibus, navi Hafniam destinaverat, in mari periere." Quod penes nos est exemplum, antehac Nicolai Guil. Schroederi, hæc habet in fronte adscripta: „Donum Cl. Auctoris, Trajecti ad Rhenum A. 1707. Erich Frondin."

Poema Tograi, ex versione latina Jacobi Golii, cum scholiis et notis. curante Henrico van der Sloot. Franequeræ. 1769. 4. pagg. 174.

Versioni adpositus sermo arabicus non nisi passim, ubi ex re visum esset, vocalium signis instructus est. Inferiorē paginæ locum Scholia tenent arabica, versione addita nulla. Notæ pag. 94—174. copiosam et variam, etiam in poetis arabicis, lectionem referunt. Præfatio de auctore carminis tradit, enumeratque codices mstos Leidenses in adorando opere adhibitos, sed ipsa metæ jam proxima subito subsistit. Subjecit aliis nonnemo hæc: "Hic deficit auctoris „manus, prius enim, quam ultimam præfationi imponeret, „in ipso ætatis flore, magnaue, quam de se excitaverat, „reipublicæ literarizæ spe, rebus humanis eruptus est."

Anglica carminis Tograi versio extat, inscripta: The Traveller, an arabic poem, intitled Tograi, written by Abu-Ismael; translated into latin and publish'd with notes in 1661. by Edward Pocock, D. D. Professor of Hebrew and Arabic — now render'd into English in the same Iambic measure as the original, with some additional notes to illustrate the poem, by Leonard Chappelow B. D. Arabic professor — in the university of Cambridge. Cambridge 1758. 4. pagg. 38.



Reiskius edidit Thograi's sogenanntes Lammisches Gedichte aus dem Arabischen übersetzt nebst einem kurzen Entwurf der arabischen Dichterey. (Dresden) Friedrichstadt. 1756. 4. pagg. 35. De Pocockii versione sic ille judicat, pag. 25. Est illa numeris omnibus absoluta. Quam autem velim notas ejus minus exiles esse, et philologicas magis quam grammaticas, h. e. tales quae sensum poetæ, historiam, et quae adhibet proverbia illustrarent. Neque enim, quales sunt, mihi satisfacere possunt. Verum non ipse Pocockius edidit opusculum, editum est post mortem illius a Sam. Clerico, forte ab auctore haud destinatum luci publicæ. — In hoc humani quid passus est Reiske, etenim Pocockius obiit demum anno 1691.

Nova carminis versio germanica, eaque metrica, prodita est in Neuen Teutschen Merkur, Erst. Stück. 1800. p. 8—18.

De auctore carminis sufficere possint hæc: Tograi carmen condidisse fertur Bagdádi anno Heg. 505. Appellationem Tograi traxit a munere vel peritia scribendi Togra, h. e. implexam istam et crassioris ductus scripturam, quæ diplomati regio præmitti solet, nomen et titulum regis complectens. Functus est Veziri munere apud regem Masûd, donec bello inter Masud et fratrem Mahmud orto, prælioque commisso, captus est, et a regis Mahmud Veziro morte mulctatus, circa ann. Heg. 515. qui cœpit 21 Mart. Anni Chr. 1121. Patriam hahuit Ispahan, Persiæ metropolin, quapropter carmen ejus dictum Lamiato'l Adschem, h. e. ab homine extero, Persa profectum; ut distinguatur ab alio, non minus celebri apud Arabes poemate, a poeta Schaaphari composito, dictoque Lamiato'l Arab, seu Arabum. Vid. D'Herbelot, Biblioth. Orient. pag. 1027. Abulfed. Annal. Tom. III. pag. 417.

الخطاب



القصاید علی بن ابی طالب Ali ben Abi Taleb carmina, arabice et latine. edidit et notis illustravit Gerardus Kuypers, Franc. fil. Lugduni Batavorum. 1745. 8. pagg. 195.

"Damnosam — verba sunt editoris in præfatione — literaturæ sacræ librorum arabicorum penuriam dolenti, et circumspicienti simul, num quid forte, ad augendas promovendasque has literas conferre possem, obtulerunt sese celeberrimi quondam per Orientem Imperatoris Ali carmina quædam, superiore seculo Institutionibus suis Arabicis a Philippo Guadagnoli subnexa. Videbantur hæc, tum brevitate, tum facilitate laudabiles Philarabum conatus adjutura, adiutumque ad nobilioris quidem et celsioris, sed longe etiam difficilioris spiritus poëmata præbitura. Quare in animum induxi, tenues et angustas nostras copiolas recentato opusculo augere, novumque et ornatiorem, si potest, carminibus his habitum induere. — Multas e textu Arabico sustuli mendas. pluribus forte eum liberasse, si MSti ope adjutus fuisset: at quærentem me destituit instructissima licet Bibliotheca Lugduno - Batava. Versionem maximam partem concinnavi novam. plerumque enim Guadagnoli, ut prave descripserat, sic et dextre minus reddiderat. Notulas adjeci tironum captui adcommmodatas, quæque Grammaticarum lexicorumque defectum incipientibus utcunque pensare possent" —

Carmina sunt sex, quartum etiam a Golio editum erat unacum Erpenii Grammatica, Lugd. B. 1656. 4. pag. 169. Accedit pag. 184—195 Auctarium carminum quatuor minorum, quæ et ipsa a Golio antehac edita erant, loco eodem. Post pag. 195 sequitur Glossarium arabico latinum. — Prodierant Guadagnoli breves arabicæ linguæ institutiones Romæ 1642. fol. Carmina secundo, tertio et quarto loco posita exhibent etiam Flores grammaticales arabici idiomatis —

B

studio et labore Fr. Agapiti à Valle Flemmarum. Patavii  
1687<sup>24</sup>, pag. 313, 318, 319.

Minus honorificam de libro sententiam tulit modo ex Batavis redux I. I. Reiske, Nov. Act. Eruditorum anno 1747, pag. 535—540, desiderans maxime editoris judicium in materia et sumenda et tractanda. Et mirum omnino non potest non videri, hominem Leidæ agentem non maluisse ex multiplici, quæ ibi servatur, copia novum quid apponere, quam crambem recoquere satis insipidam. Alienissima esse ista carmina ab Alii, summi viri, ingenio, non Reiskius solus statuit, sed affirmavit quoque H. A. Schultensius, cuius Biblioth. Criticæ Vol. I. part. II. pag. 80. verba sunt hæc: “Quæ vero sub hujus Imperatoris (Ali) nomine circumferuntur carmina, nugacissimi impostoris opus esse, nec potuisse a tali viro proficiisci, dudum est, quod viri docti monuerunt.”

Celebrantur VII carmina arabica, quæ dicuntur et Moallakâth, h. e. suspensa, et Modahhabâth, b. e. inaurata, quod, sic quidem fertur, ob suam præ aliis præstantiam aureis litteris picta in byssو fuerint, et ad portam ædis Meccanæ suspensa. Auctores ordine, qui codicum, junctim ea exhibentium, plurimorum esse solet, traduntur hi: Amralkeis; Tarapha; Zoheir; Lebid; Anthara; Amru; Hareth. Quæ typis sunt exscripta, hic redeunt.

Tharaphæ Moallakah cum Scholiis Nahâs. e MSS. Leidensibus arabice edidit, vertit, illustravit Joann. Jacob. Reiske. Lugduni Bat. 1742. 4.

Prologus, i pagg. LIV. potest VI capitibus distingui. 1. de textus editione agit auctor, de scholiis et variis vario-



rum commentariis in Moallakat, 2. de versione sua et 3. in notis quid potissimum sectatus fuerit, exponit, 4. de nominibus et ætate Moallakat disserit, quas oinnes intra 50 annos ortas et Muhammedis ætate inferiores esse statuit pag. XVII. 5. sex poetarum vitas strictim percenset totidemque carminum argumenta, 6. de Taraphæ fatis agit fusius. Textus, vocalium signis nudus, unacum versione absolvitur pag. 37. Inferiorem paginam Scholia tenent, addita ab initio triplorum causa versione latina, sed deinceps missa, quod qui linguae causa velit Moallakat legere, Arabismi rudimenta dedeat dudum excessisse. Notæ decurrunt a pag. 38—130. Effusam hic videoas lectionis arabicæ ubertatem. At auctor ipse sic de se refert: Loca quæ ad illustrationem adduxi non sunt ubique selectissima, nec ea, quæ debebant unice asserri, præcipua, capitalia, sed quæ se primo loco scribenti offerebant. Ita enim actum cum hac opella, ut de notis concinnandis non multum cogitarem. — Tracta per tres ferme annos fuit inter typothetarum manus. Hoc modo dubius, quid de editione fieret, non raro oscitabam. Concinnavi igitur notulas meas, prout typothetæ erat satisfaciendum. —

Caab ben Zohier carmen panegyricum in laudem Muhammedis. item Amralkeisi Moallakah cum scholiis, et versione Levinī Warneri. Accedunt sententiae arabicæ Imperatoris Ali, et nonnulla ex Hamasa, et Diwan Hudeilitarum. Omnia e MSS. Biblioth. Bat. edidit, vertit, notisque illustravit Gerardus Joannes Lette. præmissa est laudatio celebrissimi viri Alberti Schultens. Lugduni Bat. 1748. (1747.) 4.

Caabi carmen, versuum 58. comitem habet versionem editoris pag. 2—45. Alteri poëmati, versuum 82. visum est adjungere Levinī Warneri versionem, in Legato Warneriano

superstitem, sed eam, ut luce publica minus indigna esset, passim emendatam. Textus arabicus vocalium signis instructus, Scholia autem subjecta vocalibus et versione destituta: quæ ad prius carmen spectant, incerti auctoris sunt, ad alterum quæ pertinent, sunt ab Ibn Nahas grammatico profecta. Notæ ad Caabum, pag. 93—196. copiosiores; strictiores, quæ sequuntur pag. 167—214 ad Amralkeis. Sententiæ Ali imperatoris, elementari ordine positæ, non illæ, quas vel Golius edidit, vel anglico sermone reddidit Ockley, absolvuntur tribus paginis, 90—92. Trium quoque pagina rum sunt 215—217. quæ ex Hamasa et ex Diwan Hudeilitarum sunt decerpta.

Immoderatus hunc librum insectatus est Reiske, quod suspicaretur, Lettum ipsius officia et merita minus honorifice, quar par erat, prædicasse. Etenim Reiske cum anno 1737 incidisset Lipsiæ in bibliotheca Senatoria in volumen arabicum, quod sibi præter alia offerret Caabi carmen, primo loco positum, in suos usus exscripsit hoc carmen, ejusque commentarium incerti auctoris arabicum. Apographum hoc suum posthac Leidæ communicavit cum Lettio, suadens etiam, ut carmen hoc edendum sibi sumeret, et Leida discedens reliquit apud illum quoque a se descripta Moallakath aliaque, quæ illi editionem adornanti usui esse possent. Igitur de libro prolixe referens Reiske, Nov. Actor. Erudit. 1747. pag. 679—701. non modo expostulavit cum editore, quod videri velit sua omnia ex codicibus Bibliothecæ Leidensis hausisse, cum tamen Reiskianis opibus vere usus sit, sed et plurima in libro vituperavit, maxime hoc, quod Scholia ad Caabum imprudenter ac inepte tractata sint. Respondit audacter ad causam suam agendam Lette in præfatione ad observationes in Deboræ et Mosis cantica. Lugd. 1748. 8. Posthac Reiskius, ut erat ab omni simulatione alienissimus, ingenue professus est in sua Biographia, pag. 50. sua magis, quam il-

lius, culpa in multis peccatum esse; sese minus tum in tractandis mstis arabicis exercitatum multa perperam exscripsisse, illum apographon mendosum legere non potuisse, et menda mendis cumulasse; quare factum sit, ut editio, maxime in scholiis, vitiis scateat, nec sit usui. — Verum qui uti libro velit, Reiskiana illa relatione non debet carere, quæ novam quoque carminis interpretationem exhibit. Ipsum carmen arabicum additis quibusdam notis ex editione Lettii extat quoque in Wahlii Magazin, Erste Lieferung. pag. 77—89. Succedit nova carminis versio germanica in Dritte Lieferung. pag. 46—52.

Caabum recitasse carmen suum Mohammedi prophetæ anno Heg. nono, auctor est Abulfeda, Annal. Tom. I. pag. 170. et lapsus est D'Herbelot, qui Biblioth. Orient. pag. 219 primo Heg. anno obiisse eum asserit, superfuit vero, cum Moawia Chalifatum adiret a. Heg. 41. De Amralkeiso conferrendus Reiskius in suo ad Tarapham prologo, pag. XXIV. negans in omni vetustæ poeseos arabicæ ambitu carmen sibi obvium factum fuisse, quod illibato selectæ dictionis cultu, verborum suavi ac limpido, fontis instar, decursu, affectuum mollitie, comparationum argutiis, venustate et vivo robore, supereret Amralkeisianum. Summopere etiam commendavit illud Guil. Jones, Poeseos Asiaticæ Commentar. pag. 85 sq.

The Moallakít, or seven Arabian poëms, which were suspended on the temple at Mecca; with a translation and arguments. by William Jones Esq. London. 1783. 4. pagg. 160.

Sermo arabicus, quod mireris, non est arabicis typis expressus, quorum penuria nequaquam laborat Anglia, sed tantum latinis, ne tabula quidem addita, unde intelligas, qua ratione latinis litteris respondeant arabicæ. Igitur non-



nisi illis inservire potest istiusmodi textus, qui Anglorum mcrem latina efferendi familiarem sibi habent, reliquis per exiguo usui est vel plane nulli. At in nova etiam, eaque splendida, Operum Guil. Jonesii Omnia editione, quae VI. voll. in 4. prodiit Londini 1799. eadem ratio, quae tenuis et jejuna dici possit, iterum servata est in repetendis Moal-lakath, Vol. IV.

Zohairi carmen templi Meccani foribus appensum nunc primum ex codice Leidensi arabice editum latine conversum et notis illustratum publico eruditorum examini subjicit Ern. Frid. Car. Rosenmüller. Lipsiae 1792. 4. pagg. 70.

Non ex ipso codice Leidensi ducta est hæc editio, sed ex apographo, quod Leidæ in suos usus confecit Rinckius, nunc professor Regiomontanus. Post præfationem pag. 1—5. repetita sunt p. 6—11 argumenti loco, quæ Reiskius in Prologo ad Tarapham pag. XXVI—XXVIII tradidit de Zoheiro, poeta non minus quam Caab, filius, inter suos celebrato. Textus carminis verss. 59. (pag. 12—19) vocalium signis instructus. Versio latina pag. 20—26 singularum vocum non nimis tenax quidem, sed talis tamen quæ indolem et colorem orientis haud deleat. Notæ pag. 27—43 non ad vocum analysin descendunt, sed in poëticis formulis imaginibusque declarandis versantur, et justum modum tenent. Sequuntur pag. 44—62. arabica Scholia Nahási, grammatici, et Excerpta quædam ex commentario Tebrizii. Postremo loco positæ sunt lectiones variae, cum a Rinckio traditæ, tum ab editore exsculptæ ex libro Jonesii.

Lebidi carmen arabice edere cœpit Wahlius, Dritte Lieferung, Halle 1790. pag. 53—57. sed ultra versum 35 non progressus.

Notice historique des anciens poëmes arabes connus sous le nom de Moallakat, par A. I. Silvestre de Sacy, extat in Magazin Encyclopédique. pag. 494—523. Tome VI (1798.) Idem de tribus mstis voluminibus, quibus exhibentur VII Moallakat, refert in Notices et Extraits des Manuscrits de la bibliothèque nationale, Tom. IV. (1798.) Num. XVI.

Carmen mysticum Borda dictum Abi Abdallæ M. B. S. (Muhammel Ben Said) Busiridæ Aegyptii e codice manu-scripto B. L. B. (Bibliothecæ Lugduno Batavæ) latine con-versum. accedunt origines arabico - hebraicæ. paravit et edi-dit Joh. Uri A. L. M. Phil. et Theol. Doct. Lugduni Bat. 1761. 4.

Paucis in hoc opere defunctus est editor, ne quidem præfandi quidpiam negotium persecutus ipse: tantummodo auctoris sui exordium tradidit arabice et latine, quod occasio-nem carminis nati exponit. Textus versuum CLXX vocalium signis destitutus, cum adjuncta versione latina, satis ad-stricta, absolvitur pag. 55. Sequuntur Origines arabico - he-braicæ pag. 57—76. præmissa hac professione: “Penso quod mihi datum erat ex Biblioteca Lugduno - Batava, absoluto, progredior ad *Origines Arabico - Hebreas*. Verum, insperato et inopinato causarum quarundam concursu circumfusus, prout debita illi adnectere non poteram *Scholia*, ea licet, ex amplissimo Merzoukii Commentario, strenue congesserim, latineque reddiderim, unde *præfatiuncula* est desumpta: ita quoque Origines, haud plures, quam septem aut octo, pro-ducre potero.” — Itaque ne ætatem quidem carminis pro-ditam sibi reperiatur lector, non magis de ea certius futurus, si consulatur D'Herbelot, Biblioth. Orient. vel voce Borda, vel voce Baussiri. Est autem illud seculi decimi tertii.



Etenim poeta ipse, dictus quoque Scharfoddin, tradit in suo illo exordio, Al Sahebuni Bohaddinum, Vesirum Al Maleci Al Dhaheri, carmen suum modo ortum transcribi curasse, et permagna veneratione prosecutum esse, non sine præsentissimo suo in rebus negotiisque suis omnibus commodo. Regnavit autem Al Malec Al Dhaher ab ann. Heg. 658 usque ad ann. Heg. 676 (h. e. ab ann. Chr. 1259 ad ann. 1277.) Vid. Abulfedæ Annal. Tom. V. p. 42. 43.

Permagnæ auctoritatis inter Mohammedanos est hoc carmen panegyricum in Prophetam. D'Herbelot, voce Borda, Cet ouvrage, *inquit*, est si fort estimé parmi les Mahométans, que plusieurs l'apprennent par cœur, et en citent les vers comme autant de sentences: plusieurs aussi l'ont paraphrasé et commenté, et on en trouve grand nombre de versions Persiennes et Turquesques, tant en prose, qu'en vers. Partem carminis, et nonnihil de scholiis retulit etiam Reiskius, pag. 5 Annotationum Histor. ad Abulfed. Annal Tom. I. Borda orientalibus dicitur pannus striatus, et ex tali genere panni confecta vestis domestica quotidiani usus. Reiskii hæc verba sunt, loc. cit. pag. 35.

Abu Becri Mohammedis Ibn Hoseini Ibn Doreidi Azdiensis Poemation ad fidem codicis MS. Everardi Scheidii, S. S. Theod. Doct. et LL. OO. prof. ord. pro specimine expressum. accessit varietas lectionum ex ejusdem binis mss. in VI. priores Haririi consessus. Hardervici. 1768. 4.

Textus carminis arabicus, vocalium notis totus excultus, absolvitur pagg. 16. Præmissa est præfatio, perquam memorabilis, quæ de consilio editionis exponit. Scheidius — ita ipse refert — accepto munere professoris publici, ut satisfaceret desiderio suo, juvandi litterarum orientalium studium,

dium, primo typorum orientalium amplam supellectilem suo ære redemit ab Elia Luzac, Leidensi, deinde etiam ex oriente nactus est complures præstantissimos codices arabicos, suis sumtibus comparatos. In his cum esset Ibn Doreidi poema, cum commentario, cuius auctor est Chaluwia; hoc ipsum mox curavit suis typis excudendum, ut specimen extaret ex sua typographia profectum. In adversa tituli pagina hæc posita: "Exemplum hoc poematii Doreidiensis, ad fidem ms. codicis mei, (exemtis tantummodo nonnullis scripturæ erroribus,) quam diligentissime expressum, et, quæ in eodem, typis jam descripto, deprehensæ fuerunt operarum aberrationes, eas a me ipso, ope calami, emendatas fuisse, subscripta manu testor E. Scheidius."

Nuntiavit autem Specimen hoc ventura alia, eaque ampliora opera. Recepit in se Scheidius, Lexicon arabicum parare, quod esset ex Golii et Giggei lexicis conflatum, ac utroque non auctius tantum sed et emendatius ordinatusque. Interea temporis putabat unum alterumque auctorem arabicum a se edi posse, eratque jam constitutum, ut intra unius mensis spatium Haririi omnium concessum sermonem arabicum, punctis vocalibus instructum, typis suis ex duobus exemplis suis describere aggrediceretur, versionem latinam, cum indice omnium vocum, et lectionis varietate undique conquisita separato volumine additurus. — At quam ultro excitavit optimus Scheidius exspectationem eventus haud omnem comprobavit. Erat sane in eo vis animi atque impetus singularis ad juvandas litteras, maxime arabicas: sed promptiore erat in suscipiendo opere quam in persequendo constanter; unde factum est, ut plura quidem inchoaret, perficeret autem per pauca.

C



Poëmation Ibn Doreidi cum scholiis arab. excerptis Chaluiwæ et Lachumæi e' codicibus manuscriptis, latine conversum, et observationibus miscellaneis illustratum. accedunt observata de vocibus hebræo-arabicis ac regulis syntaxeos arabicæ, nec non rerum explicatarum argumento, in suis indicibus posita. curavit et edidit Aggæus Haitsma. SS. Th. D. et Ecclesiastes, Middelumensis. Franequeræ, 1773. 4.

Textus carminis idem, quem describendum curavit Scheidius. Præsto quidem erat mstus codex, sed, quod nonnisi sparsim esset vocalibus instructus, satius visum est, editum textum referre, quam alium, qui ab eo subinde recederet, expromere ex codice. Mangeri erat hic codex, ipsiusque etiam manu exaratus: sed unde derivatus, ubinam, quo tempore, quove consilio factus, quænam complexus sit ille, non satis distincte exponit præfatio, nequaquam illa breviuscula, at sermone aspero impeditoque conscripta. Pag. i usque ad pag. 153 procedit textus, cum versione latina, et subjectis Scholiis. Et de Scholiis quidem hæc habet præfatio, pag. XI. "Sunt illa (Scholia) duo, quorum unius Author est „Chaluiwiah, alterius Lachumaeus. Utriusque Scholastæ tantum „Excerpta præbuit Mstum (Mangeri) Scholia, ita comparata, „ut ex Chaluiwia pauciora, sed ubi adsunt, latiora, et in pau- „cis ut videtur completa, sint descripta; quando Lachumaei „Scholia sint breviores notæ, et observationes ad Chaluiwiae „Textum; quemadmodum passim tales sunt ad poëmation ip- „sum, ubi Chaluiwiana desiderantur Scholia; quare posteriora „uncinis inclusimus." Pag. 134—160 adsunt triplici serie positæ lectiones codicum Scheidiani, Schultensiani, Mangeriani; adduntur nonnullæ præfat. pag. XXIX. sq. sunt autem discrepantiæ numero magis spectabiles, quam pondere. Dimidiam voluminis partem explent pag. 163—333 Observatio- nes editoris miscellaneæ, quibus haud multum inest vel in-

genii vel doctrinæ exquisitioris. Non desunt indices et vocabulum, et rerum, et emendandorum.

Abu Becri Mohammedis Ebn Hoseini Ebn Doreidi Azdiensis Katsijda 'l mektsoura sive idyllium arabicum latine redditum et brevissimis Scholiis illustratum. in usum prælectionum academicarum edidit Everardus Scheidius. Harderovi Gelrorum. 1786. 4.

Non est vere nova editio, sed est prior illa, anni 1768. accessionibus exornata et quasi instaurata. Et enim Scheidius cum videret, post instructiorem, quam Aggæus Haitsma parasset, editionem neglecta fere jacuisse sui speciminis arabici exempla, nec fuisse qui ea requirent; ut, quæ superessent, citius in lucem ac usum hominum venirent, latinam versionem carminis cum scholiis nonnullis curavit typis novis et luculentis describendam, quæ non separatim emittebatur, sed conjuncta cum arabico specimine. Ab hujusmodi igitur exemplis abest nunc præfatio illa memorabilis, quæ locum suum commode non poterat diutius tueri, et quæ in textu sunt emendanda, peculiari pagina exhibentur. Quæ accesserunt, paginas efficiunt 72. Versio latina, interspersis scholiis latinis perquam appositis, haud parum mollior est elegantiorque ea, quam Haitsma excuspsit.

Post præfationem cernitur locus satis amplius, at latine tantum, de vita Ibn Doreidi ex Ibn Chalekāni Historia inedita virorum illustrium. Teste Ibn Chalekan natus est Ibn Doreid Basræ ann. Heg. 223 (Chr. 838) obiitque Bagdadi ann. Heg. 321 (qui cœpit 31 Dec. ann. Chr. 932.) summam inter suos famam consecutus cum aliis scriptis permultis, tum maxime carmine, dicto Macksura, versuum plusquam ducentorum, quod ob copiam et puritatem sermonis arabici

non modo admiratores nactum est permultos, sed commen-  
tatores quoque haud paucos. Inter hos eminent Abu Abdalla  
Hosein Ibn Chaluwia, mortuus ann. Heg. 370. et Abu Ab-  
dalla Mohammel Ibn Ibrahim, Lachamæus, mortuus ann.  
Heg. 570. Conf. etiam de Ibn Doreid, strenuo vini potatore,  
at litterarum arabicarum principe, Abulfed. Annal. ad ann.  
Heg. 321. Tom. II. pag. 377.

Monumenta vetustiora Arabiæ sive specimina quædam  
illustria antiquæ memoriarum et linguae. Ex manuscriptis codi-  
cibus Nuweirii, Mesoudii, Abulfedæ. Hamasa etc. etc ex-  
cerpsit et edidit Albertus Schultens. Lugduni Bat. 1740.  
4. pagg. 71.

Carmina sunt, vel carminum fragmenta, a Schultensi  
ex variis auctoribus collecta, latine redditæ et notis illustrata.  
"Ex iis, inquit in præfatione, *Arabicum Dialectum* ab ultima  
inde memoria et antiquitate intime cum *Hebraea* connexam  
fuisse, atque ejusdem *Stirpis* alterum constituere *Ramum*  
multo florentissimum, luce meridiana clarius patescat." Cujus  
duo prima sunt, Amru Ibn El Hæreth, Salomonis æqualis  
fuisse statuitur. Posthæc comparet versus multo etiam an-  
tiquior, decimi Joctanidaruim regis, Noamani, cuius ætas  
Mose non inferior, vel et superior aliquanto perhibetur. Car-  
minis illius primo loco positi particulæ cum sint memoratæ  
etiam ab Abulfeda, Annal. Tom. I. pag. 22. sq. Reiskius,  
Annotatt. Histor. pag. 9. not. 15 sententiam tulit his ver-  
bis: "Hoc carmen de excidio gentis Gorhamicæ Salomonis  
ætatem attingere putat cl. Schultensius in Monum. vetust.  
Arab. pag. 1. Sed, me judice, ipso Muhammede recentius  
est: et in genere de omnibus illis carminibus, quorum in  
ista collectione Schultensii tantopere celebratur auctoritas,

at septingentis, et ultra, dicuntur annis aetatem Muhammedis anteverttere; nullum est, quod non confictum et suppeditatum sit. Nullum certe antiquitatis, nullum Homeriticæ dialecti vestigium in illis reperitur. Scripta sunt stilo pedestri, et ne poetico quidem. Atqui, si Homeritica erant, debebant glossis scatere, et verbis genti propriis, quæ Arabum pæne nullus aliis intelligeret. Ubinam vero sunt illæ glossæ, illi Homeriticæ linguæ characteres?" — Verum est, in istis versibus haud quidpiam cerni, quod peculiare videri possit, et a trito sermone alienum. Quid tamen, si quis dixerit, formas vocum singulas vel obsoletas vel peregrinas sensim permutatas fuisse usitatoribus? quod quidem facile accidere potuisse intelligat, qui cogitet, memoriter atque ore tantum traditos fuisse illos versus, non litteris consignatos. Quod autem arte carent et colore poetico, id tantum abest ut contra eorum antiquitatem quidquam valeat, ut potius eandem confirmare videri possit.

Schultensi hic liber adhæret Consessibus Haririi IV. V. et VI. ab eodem Schultensio editis. Venit etiam cum Historia imperii vetustissimi Jœctanidarum in Arabia felice — Harderovici 1786. 4. (Integralm inscriptionem vid. in Michaelis Neuen oriental. und exeget. Biblioth. P. IV. pag. 1.) Magnam Monumentorum partem repetuit Eichhorn in commentatione sua Ueber die verschiedenen Mundarten der Arabischen Sprache, quæ præmissa est libro, Richardson's Abhandlung über Sprachen, Litteratur und Gebräuche morgenländischer Völker. Leipzig 1779. 8.

Proben der arabischen Dichtkunst in verliebten und traurigen Gedichten, aus dem Motanabbi, arabisch und deutsch, nebst Anmerkungen. Leipzig, 1765. 4. pagg. 94.



Motanabbi carmina universa ex codice Warneriano Bibliothecæ Leidensis, unacum excerptis Scholiis Abu'l Hosein Ali ben Ahmed Wahediensis, in suos usus descripta habebat Reiskius, editurus arabice et germanice cum annotationibus, si per temporis rationem fieri posset. vid. ejusd. Lebensbeschreibung, pag. 163. Cum redemptorem nancisci non posset; visum est, specimen tamen in lucem proferre suis sumtibus. Sunt carmina XVII. quorum nonnisi eam partem, quæ amatorii generis est, decerpit Reiskius; sequuntur carmina II lugubria, et hæc quidem integra. Sermo arabicus cum vocalibus careat, cum adnotaciones etiam sensum magis quam voces spectent; editio hæc lectores requirit, qui sint in cognoscendis arabicis exercitationes.

Nomen poetæ, inter suos celeberrimi, erat Ahmed Ibn Hosain, Kendita; natus est Kufæ, in vico Kenda dicto, ann. Heg. 303. (Chr. 915 s. 916.) Quo vulgo venire solet, cognomen البنبي traxit ex eo, quod aliquando in deserto Samawah prophetam sese jactaret, non alio eventu nisi hoc, ut disjecta, quæ eum sectaretur, plebe in carcerem ipse mittetur, unde longo demum tempore postea dimissus est, ubi ad saniorem mentem eum rediisse constitisset. Obiit ann. Heg. 354. (Chr. 965.) Vid. de eo Reiske, in Lebensbeschreibung, loc. cit. D'Herbelot, voce Motanabbi, pag. 638. et maxime Abulseda, Annal. Tom. II. pag. 482. sq. In Miscellis orientalibus, homine The Oriental Collections — edi cœptis anno 1797. Londini, 4. in ipso limine, p. 1—14 extat relatio de vita Motanabbii, auctore Jo. Haddon Hindley, cum duorum ejus carminum specimine, arab. et anglice.

Carmen arabicum sive verba doctoris Audeddini Al Nasaphi de religionis Sonnitice principiis numero vincta. nec non Persicum. nimirum doctoris Saadi Shirazitæ operis po-

marium dicti initium, ubi de Deo T. O. M. Edidit ac latine  
vertit J. Uri. Oxonii, 1770. pag. 25.

Paucis absoluta hæc est editio; præter versionem lati-  
nam neque commentandi neque præfandi caussa verbulum  
accessit ad contextum. D'Herbelot tradit, voce Nassafi, pag.  
662. auctorem, Abu Hafs Omar, natum esse in urbe Nassaf,  
ann. Heg. 461. Chr. 1067. mortuum ann. Heg. 537. Chr. 1142  
Samarcandæ. "Le même Nassafi, inquit, est auteur d'un poë-  
me, qui contient deux mille six cent soixante distiques, inti-  
tulé, Khelafiah almandhoumah, sur tous les articles de la  
Sunnah, qui est la pratique, et l'observance particulière de  
tout ce qui regarde le Musulmanisme." Editio hæc disticha  
exhibit haud plura quam XXVI. Arabicus sermo caret quidem  
vocalibus, sed ad intelligendum eum non parum juvat  
latina versio, satis illa ad verba et orationis formam adstricta.

Specimens of arabian poetry, from the earliest time to  
the extinction of the Khaliphat, with some account of the  
authors, by J. D. Carlyle — professor of Arabic in the Uni-  
versity of Cambridge. Cambridge, 1796. 4.

Sermo arabicus, typorum forma admodum quidem spe-  
ciosus, at signorum ad cognoscendum adjumento haud in-  
structus, absolvitur pagg. 71. Specimina sunt LX. Eaque  
in præfatione sua universe significat editor sumta esse nullo  
discrimine habito ex editis libris ineditisque. At sane per-  
pauca sunt, quæ primus ipse in lucem evulgavit. Agmen  
ducit, cuius Lebîd auctor est, carminis initium, subsistens  
vers. 16. Quæ sequuntur II. III. IV. VI. VII. VIII. edita jam  
pridem erant ab Alb. Schultensio in Excerptis ex Hamâsa.  
Alia plurima sunt repetita cum ex Erpenii Elmacino, tum



maxime ex Abulfeda Reiskii. Num. LIII. (pag. 56.) spectandum exponitur, quo omnium minime nobis opus erat, Tograi carmen integrum, ex editione Pocockii, octava nunc vice illud typis descriptum.

Majorem libri partem, pag. 1—180 eadem carmina conficiunt anglico sermone, eoque rhythmo, expressa, habentque singula præfationis quidpiam præmissum. At arabica lecturis nequidquam prodesse potest istiusmodi versio. Tantum enim abest, ut auctoris cuiuscunque verba formulasque reddere curet interpres, ut suum ipsius sensum secutus, suis magis formulis sententiisque libere utatur. Veluti num. II. ubi poeta Maânum, munificum virum, luget hoc modo:

Adite Maânum, et dicite ejus sepulchro: rigent te pluviae matutinæ, aliæ post alias! O enim sepulchrum Maâni, prima tu es fossa terræ, designata munificentiae cubiculum.

h. e. munificus erat Maân, ut ante illum nemo. Anglico sermone produntur hæc:

Friends of my heart, who share my sighs!  
Go, seek the turf where Mano lies,  
And woo the dewy clouds of spring,  
To sweep it with prolific wing.

Within that cell, beneath that heap,  
Friendship and truth and honour sleep —  
In mentem venit, Gallica etiam apponere, quibus eundem illum locum arabicum reddere posse sibi visus est nonnemo in Nouveaux Contes Arabes, ou supplément aux mille et une nuits, — par M. l'Abbé \*\*\*. à Paris, 1738. 12. pag. 302. Sunt hæc: Venez tous, venez répandre des pleurs sur son urne. Puisse la rosée du matin s'épancher toujours sur son tombeau! Puisse-t-elle y faire germer les fleurs, y faire naître des guirlandes pour couronner le plus généreux des hommes! — Igitur ad arabicas litteras haud magnam accessionem.

sionem attulisse videri possit Carlyle, quem, quod ingenio non minus valeat quam doctrina, spes est posthac præclare de illis meritum, ubi redierit Constantinopoli, quo illum in comitatu legati regii profectum esse, relatum legimus.

Anthologia sententiarum arabicarum. cum scholiis Zamachsjarii. edidit, vertit, et illustravit Henricus Albertus Schultens. Lugduni Bat. 1772. 4. pagg. 171.

Extat Leidæ in bibliotheca publica liber, inscriptus **الزمخشري**, h. e. Dicta clara, qui nomen præ se fert Zamach-schari, magnam inter suos litterarum famam adsecuti. Nomen viri erat Abu'l Kasem Mahmud fil. Omar; cognomen traxit a pago, dicto Zamachschâr, in Chowarezmia, ubi natus est ann. Heg. 467. Obiit ann. Heg. 538. Chr. 1143. Videatur de illo Abulfeda, Annal. Tom. III. pag. 489, et D'Herbelot, pag. 922. ubi multa varii generis scripta commemo-rantur, ab ipsius ingenio profecta, libri tamen dicti Al Na-wâbig mentio facta nulla. Veniunt autem hoc nomine sententiae rhythmicæ, varii argumenti, nec omnes ejusdem acuminis vel ponderis, tales fere, quales sunt Salomonis sententiæ hebraicæ. Illas, numero 285 præter Prologum, vel ex suo ipsius ingenio duxit, vel, quod credibilius est, ex lectio-ne, memoria, usuque hominum congregavit Zamachschari, et commentario grammatico, seu scholiis perpetuis illustravit. Alb. Schultensius, cum Erpenii Rudimenta linguae arabicæ iterum ederet (1733. 1770. 4.) dignum habuit illud opuscu-lum, quod pluribus innotesceret. Edidit unicum prologo sententias hinc inde decerpitas XX. hac ratione, ut non modo textum instrueret vocalibus, et latine redderet, sed et sin-gulas voces tractaret copiosius. In præfatione sic ille sta-tuit: "Dignum est totum illud opusculum, commentario Za-

D



*machsjarii*, Philologorum *Arabum* facile principis illustratum, quod diem lucemque adspiciat." Monitum exsecutus est Henricus Albertus Schultens, Johannis Jacobi filius, Alberti nepos. Edidit sententias ducentas, posthabitis singulis, quæ minus placent. Arabico sermoni, vocalibus nudo, latinam interpretationem addidit; scholia Zamachscharii non omnia, sed selectiora, subjecit, arabice tantum; notas addidit (inde a pag. 112.) ad illustrandum sensum exquisitiores magis quam copiosiores. Judiciose in tractando opere versatus est Schultensius, etiamsi juvenis, haud major annis XXII. De vita ejus atque ingenio qui cognoscere cupat, vid. Memorabiliens, Part. VIII. 1796. Legendo huic libro si quis minus exercitatus operam dare velit, possit initium sumere a Florilegio, Rudimentis Erpenii adiuncto, atque hinc demum pedem proferre ad Anthologiam.

كتاب الأمثال seu proverbiorum Arabicorum centuriæ duæ, ab anonymo quodam Arabe collectæ et explicatæ: cum interpretatione latina et scholiis Josephi Scaligeri I. Cæs. F. et Thomæ Erpenii. Leidæ, in officina Raphelengiana. 1614. 4. pagg. 126.

Arabica, ex Abu Vbeid (أبو عبيدة) aliorumque scriptis collecta, Romæ nactus D. Florentius (de Florence), in patriam reversus communicavit cum Isaaco Casaubono, additâ, quam Romæ a Maronita quodam confici curaverat, latina versione, sed barbara illa atque in multis locis inepta. Casaubonus majorem libelli partem misit ad Scaligerum, rogans, velit difficiliores quasdam sententias latine explicare. Hic ubi omnium, quæ accepisset, versionem latinam, notis etiam illustratam, mox remisisset; Casaubonus posthac aliud exemplum, primo illo et plenius et emendatius, transmisit



Scaligero, ut quam inchoasset operam perficeret: quod quidem promisit Ipse, at non præstitit, vita defunctus mense Januar. ann. 1609. Igitur Erpenium, litterarum Arabicarum perquam studiosum, qui Lutetiam Paris. venisset ann. 1609. incitavit Casaubonus, ad perficiendum opus, ut posset in publicam lucem edi. Recepit in se Erpenius et strenue persecutus est: sed quod typographus deesset, dilatum est negotium, donec, in patriam redux, Raphelengii nunc typis librum ederet, præfixa ad Casaubonum, qui in Anglia nunc degeneret, epistola d. Cal. Mart. 1614. cuius exordium hoc: Ecce tandem typis Raphelengianis, non Lebeanis, ut futurum putas, excusum libellum nostrum Proverbiorum — Quos Lebeanos dicit, nomine, ut videtur, ab exsculptore ducto, typi non possunt esse nisi illi, quos confici curavit Savary de Breves, omnium quotquot adhuc in Europa fuerunt elegantissimi, a quorum venustate longissime aberant Raphelengiani. Vid. de Guignes in Notices et Extraits des Mscr. — Tom. I. pag. XIX. vel Eichhorn in Biblioth. Vol. II. P. 3. pag. 390.

Proverbiorum arabicorum centuriæ duæ, ab anonymo quodam Arabe collectæ et explicatæ: cum interpretatione latina et Scholiis Josephi Scaligeri I. Cæs. F. et Thomæ Erpenii. Editio secunda priore emendatior. Lugduni Bat. ex typographia Erpeniana, linguarum orientalium. 1623. 8. pagg. 134.

Nova hæc editio inscripta est Merico Casaubono, Isaaci filio. Præfationi subjectæ sunt binæ litteræ, ad Erpenium scriptæ ab Isaaco Casaubono brevi ante obitum tempore, quibus maximam, quam ex libro sibi misso cepisset, voluptatem significarat, hæc inter alia scribens: "Toto morbi mei tempore fuit mihi in manibus, dies noctesque, tuus liber."

D 2



Cæterum conferendus est Ed. Pocockius in specimine Historiæ Arabum Oxon. 1850. 4. ubi pag. 349—357 haud pauca ab Erpenio minus recte dicta emendantur et restituuntur.

Centuria Proverbiorum Arabicorum, juxta cum interpretatione latina, in usum tyronum nec non Collegiorum. Editore Andrea Sennerto, P. P. in Acad. Witteberg. typis et impensis Fincelii. 1658. 4. pag. 24. Extrema pagina exhibet Korani Suram I. arab. et latine.

Repetita est Erpenii centuria prima, sed omissis Scholiis, passim interspersis, omnibus, quibus vel dictio declaratur, vel sensus. "Observationes illæ, ait Editor, viva voce possint facile insinuari excipique a dissentibus." Arabicæ descripta sunt iisdem typis exilibus, qui cernuntur in Sennerti Arabismo. Witteberg. 1658. 4. et in Wichmannshausen Gymnasio arabico. ib. 1724. 4.

Loemani Sapientis Fabulæ et selecta quædam Arabum adagia. cum interpretatione latina et notis Thomæ Erpenii. Leidæ, in typographia Erpeniana linguarum orientalium. 1615. 8.

Hæc est prima editio Fabularum, quas ad fastidium usque, in Germania maxime, ab aliis post alios repetitas esse constat. Et quidem dupliciter prodiit prima editio. Altera, mere arabica, absolvitur fere plagulis duabus. Altera, arabico-latina pagg. 78. amplam habet præfationem ad linguarum orientalium in orbe christiano studiosos, et singulis fabulis adiisque additam versionem. Utriusque arabicus sermo caret vocalium figuris, quod illis nondum instructa esset tum officina

Erpeniana, cum primum illa hoc specimen emitteret. *Adagiorum* est centuria una perfecta.

Locmani Sapientis Fabulæ et selecta quædam Arabum Adagia, cum interpretatione latina et notis Thomæ Erpenii. Lugduni Bat. 1636. 4. pag. 60.

Secunda hæc editio ita quidem adornata est, ut speciem habeat libri separati: sed pertinet tamen etiam ad Grammaticam Erpenii denuo editam, hujusque partem efficit. Præfixa huic est typographi præfatio, ex qua hæc transcribere iubet: "Editionis prioris exemplar nacti, in quo Autor ipse, quæcunque longior usus et ratio mutanda suaserant, mutasset, quæ addenda addidisset, quæ tollenda sustulisset, ejus copiam omnibus Arabicæ linguae studiosis faciendam duximus. Exercitationis autem loco Locmanni fabulas, et adagia quædam Arabum ab eodem auctore cum versione latina atque notis jam pridem edita, additis nunc insuper Vocalibus et notis Orthographicis, in tyronum majorem usum adjecimus." Ab ipso Golio autem curatam hanc editionem fuisse, non est quod dubites.

Iterum edita sunt eadem Adagia centum, posita nunc inscriptione: Sententiae arabicæ, cum Locmani Fabulis a Golio in volumine, quod inscriptum: Arabicæ linguae tyrocinium. id est Thomæ Erpenii Grammatica arabica: cum varia Praxios materia. Lugd. B. 1656. 4. Præter ista autem addidit Golius pag. 65—262. complura alia, ante non edita; inter hæc: Adagiorum arab. centurias III. et quasdam metro conceptas seu poetarum gnomas, cum interpretatione et notis: nec non, arabice tantum, Arabum sententias aliquot, partim soluto, partim ligato sermone.

Denuo edidit Adagia Erpeniana, servata inscriptione sententiarum, Alb. Schultensius, unacum Th. Erpenii Grammatica arabica, Lugd. Bat. 1748. 4. et ib. 1767. 4. Quæ in Nouveaux Contes Arabes, Paris, 1788. pag. 314—353 Gallico sermone expressa sunt Adagia CCXIII. hausta sunt ex Goliana editione, atque ex Florilegio Alb. Schultensii.

Selecta quædam ex sententiis proverbiisque arabicis, a viro summo Thoma Erpenio olim editis. cum versione latina hic illic castigata, et accessione centum proverbiorum, mere arabicorum. In usum collegii domestici recudi fecit, atque e codd. mss. emendavit Everardus Scheidius. Hardervici Gelr. typis arabicis editoris. 1775. 4.

Præfationis loco præmissa est dissertatiuncula de voce, **مَدِينَة**, sive **لَشْبُر**, ex Meidanio. Sequuntur pag. 1—13 Excerpta ex Sententiis 50. lectione passim emendata ex codice aliquo msto, et pag. 14—41 Selecta ex centuriis (duabus) proverbiorum 75. Addita sunt, antehac non edita, selecta ex Meidanii collectione proverbia centum, pag. 41—64. vocabulis omnia instructa.

*Al Meidani* natus est in urbe Nisabûr, ejusque vico seu hippodromo, dicto Meidan. Hinc cognomen traxit. Nomen viri erat Abu'l Fadl Ahmed Ibn Mohammed —. Obiit anno Heg. 518. Chr. 1124. (Pocockii Specimen Hist. Arab. pag. 369.) Confecit amplum Syntagma Proverbiorum arabicorum 6000. ordine hoc, ut quæ eadem littera inciperent omnia consereret, addito commentario, quo non tantum voces obscuriores ex usu linguæ declararet, sed et formulæ origines, quantum fieri posset, ex historia repeteret, atque ex ingenio populi moribusque illustraret. Edendi operis consilium olim agitavit Edw. Pocock. Versionem latinam ab se confectam,

alterum iter orientale ingressurus ann. 1637 tradidit suo Collegio servandum ea conditione, ut, quamquam rudis et minus perfecta, ab alio, sibi si quid humani acciderit, perfici atque edi posset. Anno demum 1671 urgente in primis Castello specimen typis descriptum ad excitandos emtores divulgatum fuisse traditur in vita Pocockii, praefixa ejus operibus theologicis, pag. 69. At eventu res caruit: versio autem illa servatur in Bibliotheca Bodleiana. (Catalog. pag. 90. num. CCCXIII.) Neque Reiskii animus alienus erat ab edendo Meidanio. Habebat ipse apographum sua manu ex codice Leidensi factum, cui accessere indices diligentia Jo. Christi. Krügeri (Reiske's Lebensbeschreibung, pag. 126.) qui suis etiam usibus Meidanii opus descripsit. Et Krügerianum quidem exemplum superest in Bibliotheca Lipsiensi academica: Reiskii autem quod erat, curante Scheidio, cessit Academiæ, quæ Harderovici est, in Belgio.

Quæ edita nunc habemus, sunt hæc:

Sammlung einiger arabischer Sprüchwörter die von Stecken oder Stäben hergenommen sind. von Jo. Jac. Reiske. (Leipz. 1758.) 4. pagg. 31.

Sunt formulæ VIII a baculo ductæ omnes, quibus illustrandis ex Meidanii commentario et aliunde collatum, quantum satis est. Reiskii verba extrema hæc: Profiteor me operis Meidanii amore captum; quam velim multos esse, qui arabicis litteris operam dent et Meidanii rationem habeant, ut brevi posset in lucem pervenire.

Specimen Proverbiorum Meidanii ex versione Pocockiana edidit Henr. Alb. Schultens. Londini 1773. 4. pagg. 55.



Pocockii volumen illud integrum in suos usus descripsit. Schultensius Oxonii ann. 1772. ediditque hoc specimen, ut videntibus legentibusque desiderium injiceret habendi operis universi. Absolvitur illud sententiis CXX. promiscue hinc illinc decerpitis, estque totum Pocockianum, præter unicam observationem, pag. 32. suppeditatum editori ab amico, quem Guilielmum Jones fuisse facili conjectura assequimur.

Meidanii Proverbiorum arabicorum pars, latine vertit et notis illustravit Henr. Alb. Schultens. Opus posthumum. Lugduni Batav. sumptibus auctoris, 1795. 4. pagg. 314.

Vulgavit Schultensius edito programmate latino a. d. 29 Mart. 1791 consilium suum de edendo Meidanii opere voluminibus tribus in 4 maj. pretio 10 aureorum Hollandicorum; nec defuere, qui redemptores sese profiterentur: at morbo ille correptus 24. Nov. 1792. postquam lente elanguisset, exspiravit 12 Aug. 1793 typis exscripta nonnisi parte ea, quæ subsisteret pag. 308. Proverb. CCCXXXIV. Hisce ut accederent, quæ calamo descripta atque elaborata deprehenderentur alia, curavit Nicol. Guil. Schröder, qui et suas nonnullas adnotaciones adjunxit pag. 309—314, et Præfationem scripsit prid. Calend. Novembr. 1795. nec ipse multos annos superstes; obiit enim optimus vir, qui in litteris orientalibus parem habebat neminem, a. d. XXI. Maj. 1798. annos natus propemodum LXXVII. Relatio de hoc opere perquam accurata extat in Götting. gel. Anzeigen 1796. 118 St. Re tulit de eodem quoque Silvestre de Sacy in Magasin Encyclopédique, Num. 10. Ann. III. (1795.) pag. 222—234.

Selecta —

Selecta quædam Arabum Adagia, e Meidanensis Proverbiorum Syntagmate nunc primum arabice édita, latine versa et illustrata edidit Ern. Frid. Car. Rosenmüller. Lipsiæ 1796. 4. pagg. 28.

Ex apographo Krügeriano edita sunt proverbia XVII. ea-que tam scienter tractata, ut non possint non esse qui alias ejusmodi fasciculos, quorum spem quoque fecit editor, ab ipso requirant vehementer.

Est quoque penes nos, ex liberalitate Ever. Scheidii, fasciculus trium plagularum, 4 maj. referens arabice tantum Proverbia Meidanii centum unacum ejusdem Scholiis, omnia ex primo ordine, litteræ Eliph, præter postremum, quod est ex ordine litteræ قـ desumptum.

Scheidianis typis et impensis excusa hæc fuere ante annum 1790. et quæ extremo loco cernitur formula تـمـ (Tantum!) innuit, non esse quod amplius exspectares. Etenim cœpto destitit Scheidius, ubi cognovisset, a Schultensioccupatam esse Meidanii edendi provinciam.

Arabum philosophia popularis, sive sylloge nova proverbiorum. A Jacobo Salomone Damasceno dictata exceptit et interpretatus est perillustris vir Fridericus Rostgaard, pīe memoriæ. Edidit cum adnotationibus nonnullis Joannes Christianus Kallius. Hafniæ, 1764. 8. pagg. 192.

Sunt DXLV sententiae breves, variij argumenti variique ponderis, nonnullæ etiam in aliis libris antea vulgatae. Omnes eas Rostgaardius, cum juvenis arabicam linguam coleret

Parisiis, ex ore exceptit magistri Salomonis, Damasceni hominis, qui latine singulas interpretaretur, et plurimarum quoque usum significaret. Erat autem Salomo ille haud dubie idem, qui Salomonis Negri nomine famam aliquam consecutus, obiit in Anglia anno circiter 1729. Vid. Memoria Negriana hoc est Salomonis Negri Damasceni vita olim ab ipsomet conscripta nunc autem accessionibus quibusdam illustrata. — — ex autographo auctoris edidit Gottlieb Anastasius Freylinghausen S. Theol. P. P. Halæ Salicæ 1764. 4. Kallius, professor Hafniensis, cum multo post tempore ipsum illud opusculum juvenile nactus esset, a Rostgaardio, viro nunc gravi et dignitate conspicuo, excitatus ut illud observationibus auctum in lucem ederet, morem gessit. Usus autem est ratione ea, ut materiam omnem complecteretur quatuor libris minoribus, publice defendendos more academico propositis. Specimen primum pag. 1—64 editum mense Februar. 1757. secundum pag. 65—96. mense Jul. ejusdem anni, tertium pag. 97—128 mense Jul. 1758. quartum pag. 129—192 mense Jul. 1760. Accessit tandem, ut quæ typis exscripta essent libri formam nanciserentur, inscriptio nova, cum præfatione, qua multa emendantur, nonnulla ad illustrandum adduntur. Exornare quidem studuit Kallius materiam, quantum ipsa ferre posset: sed videtur illa vix digna, quæ magno studio et multa disciplina excoleretur.

Hariri, de quo vid. d'Herbelot, Biblioth. Orient. pag. 430 et potissimum Abulfeda, Annal. Tom. III. pag. 413 sq. natus est Basræ anno Heg. 446. mortuus anno 515 (Christ. 1121.) Nomen viri erat Abu Muhammed Al Kásem Ibn Ali — cognomen Hariri traxisse videtur a vitæ genere, quod versaretur in serico vel texendo vel divendendo. Confecit, præter alia, dissertationes quinquaginta, dictas Makámâth, qui.

bus nonnemo, cui nomen Abu Zeid, verba facit ad oblectandam audientium multitudinem. "Macamat" verba sunt Reiskii in Annotat. histor. ad Abulfedæ Annal. Tom. IV. pag. 728. "sunt dissertationes, in quibus enarrantur, quæ in publicis conventibus, concursibus plebis, dicta factave fuerunt. Proprie *consistentiar*, seu concursus populi, coronæ spectatorum et auditorum. Mokimin sunt δι τεριησαμενοι ὄχλοι, planni, impostores, præstigiatores, thavmaturgi, qui populi multitudinem ad se allicitunt. Talis fuit ille Abu Zaid, quem Haririus in unaquaque dissertatione introducit alia atque alia et semper diversa ratione imposturæ crumenas auditorum emungentem. — Credidi me debuisse veram vocis significationem exponere, quæ ab interpretibus hactenus percepta non fuit." Tautam vero hoc opus consecutum est famam atque auctoritatem, ut, teste Golio, in Asia et Africa studiosio elegantiorum litterarum commodior vix alias habeatur, a quis proprietatem linguae simulque copiam et elegantiam addiscant.

Primus, qui operis partem publici usus fecit, est Jo. Fabricius, Dantiscanus, qui Consessum primum arabice et latine cum multis annotationibus edidit in Specimine arabico, Rostochii 1638. 4. pag. 1—72. Postmodum Golius, a quo tradita ille habebat, quæ suo nomine edere ipsi visum est, ipse edidit in Accessionibus ad Erpenij Grammaticam arab. Lugd. Bat. 1656. 4. pag. 211—225 eumdem primum Consessum arabice et latine, cum succinctis suis Scholiis in margine positis.

Longo temporis intervallo demum edita sunt alia.

Haririi eloquentiae arabicæ principis tres priores consessus. e codice msto Bibliothecæ Lugduno Batavæ pro specimine emissi, ac notis illustrati ab Alberto Schultens. Franequeræ 1731. 4. pagg. 181.

Primi Cōsēssus versio latina Golii est. Editionis initium fecit Schultensius, cum esset professor linguae hebraicæ Franequeræ, unde vocatus est anno 1729 Leidam, superstite quidem sed ad munus dudum languido Jo. Heimanno, litterarum orientalium professore.

Consessus Haririi quartus, quintus, et sextus. e codice msto latine conversi ac notis illustrati. accedunt monumenta vetustiora Arabiæ. curavit et edidit Alb. Schultens. Lugd. Bat. 1740. 4. pagg. 279.

Præfationem, qua omnium Consessuum versionem sibi dudum paratam esse significat Schultensius, excipiunt Excerpta de Haririo ex Ibn Chalekān opere de viris illustribus. Notæ utrinque uberes sunt et copiosæ. Accesserunt huic volumini Indices, qui in priori desiderantur.

Abi Mohammed El Kasim Bosrensis vulgo Haririi Consessus XXVI. Rakda seu variegatus dictus e codice msto unacum Scholiis arabice edidit ac vertit Jo. Jac. Reiske, Sorbigensis. Lipsiæ 1737. 4. pagg. 16.

Severius de primo hoc suo specimine statuit Reiske, in Vita sua pag. 14. pronuntians, non esse nisi tenue tironis exercitium, quod gratuletur sibi in paucis tantum exemplis substitisse, et ipsis pridem elapsis e conspectu et memoria hominum. Usus autem est Reiskius codice tunc Jo. Christoph. Wolfii, antea Hinckelmanni, quem commemorat Woflius Biblioth. Hebr. Vol. IV. pag. 776.

Abi Mohammed Al Casim vulgo dicti Hariri, eloquentiae arabicae principis, quinquagesimus Consensus Basrensis, ex codice msto Bibliothecae Bodleianae latine conversus a Joh. Ury. accedunt dialogi Persico - Anglici. Oxonii 1774. 4. pagg. 36.

Sermoni arabico praeter latinam versionem satis adstrictam accedunt quoque scholia succincta in margine collocata.

Haririi consensus quinquaginta omnes edere instituit Scheidius. Descriptae sunt ipsius typis plagulae quatuor, 4 maj. Referunt sermonem mere arabicum, vocalibus instructum, interspersis frequentibus numerorum signis, quae innuunt Scholia quoque arabica haud fuisse defutura. At subsistit textus, pag. 32. in Consessu quinto, in verbis illis, quae cernuntur in Schultensiana editione pag. 144.

Henricum Alb. Schultensium in eo fuisse anno 1781. ut universos Haririi Consensus arabice, cum versione latina ab avo elaborata, in lucem ederet, ex ipsius constat professione. Memorabilien. VIII St. pag. 36.

Hebraicè conversi extant Consensus Haririi in Bibliotheca Bodleiana, vid. Catalog. pag. 97. num. 497. Personis, quae præcipuas in illis partes agunt, dictis Hareth ben Hemmâm et Abu Zeid, substituuntur Geber Ithiel (Proverb. XXX. 1.) et Cheber Hakkeni (Jud. IV. 11.) Hinc ducta inscriptio libri מהברות איהיל. Qui versionem hanc hebraicam adornavit, est R. Jehuda fil. Salomonis, dictus Charizi, חריזי, ortu Hispanus, qui floruit sec. XII. Idem vero, qui arabicos consensus vertit hebraice, et ipse ex suo ingenio, imitatus Haririum, confinxit hebraico sermone consensus quinquaginta, designatos loco cit. Catalogi pag. 96. num.



492. 493. In his, qui primas partes sustinent, dicuntur Ethan HaEzrachi (1 Reg. IV. 31.) et Cheber Hakkeni. Sermo primus est de linguae Hebrææ præstantia; decimus inscribitur de agricola; vicesimus, de VII virginibus; tricesimus, de medico Turco; quadragesimus, de gladii cum calamo contentione; quinquagesimus carminibus constat, ad oblectandum animum compositis. Tituli et præfationis pars arabico sermone exprimuntur. Specimen operis edidit Joh. Ury, inscriptum: R. Jehudæ F. Salomonis vulgo dicti Charizi eloquentiæ hebraicæ principis primus et tricesimus confessus de latrone transfigurato nuper e codice msto latine conversus. accedunt versiculi ex quinquagesimo ejusdem confessu excerpti. Londini. 1773. 4. pagg. 24. Quæ dicta hic a nobis sunt, facient ad ea coquendā, quæ impedit satis tradidit Wolfius, Biblioth. hebr. Vol. I. pag. 141. III. pag. 39. IV. pag. 776.

Six Assemblies; or, ingenious conversations of learned men among the Arabians, upon a great variety of useful and entertaining subjects; formerly published by the celebrated Schultens in Arabic and Latin, with large Notes and Observations explaining several peculiar customs, manners and idioms of speech amongst the eastern people; whereby much light is thrown upon many passages of Scripture, both of the old and new Testament: together with a collection of several proverbial sayings among the Arabians, with an explanation of their singular beauty and propriety. the whole now translated into English, with improvements. by Leonard Chappelow, B. D. Arabic professor in the University of Cambridge. Cambridge 1767. 8.

Singulos confessus excipiunt notæ. Quæ in inscriptione libri memoratur Proverbiorum collectio, non alia refert, nisi quæ sunt in hisce sex Consessibus subinde interspersa.



Gallice redditus Haririi Consessus XLV extat in Magasin Encyclopedique Tom. II. (1765.) pag. 279—285. Qui eum vertit, Venture, interpres linguarum orientalium, missus cum copiis Gallicis in expeditionem Aegyptiacam, perit 1799 ad oppidum Ptolemaidem, s. Saint Jean d'Acre.

Abi'l Walidi Ibn Zeiduni Risálet seu Epistolium. arabice et latine cum notulis edidit Jo. Jac. Reiske. Lipsiae 1755. 4-pagg. XVI et 8.

Repetitum est totum opusculum in Hirtii Institutionibus arabicæ linguae, Jenæ 1770. 8. pag. 483—536 addito specimine a Reiskio subministrato commentarii ad illud epistolium, confecti ab Ibn Nobatah. Quod in hoc epistolio cernitur dicendi genus, quam proxime nobis accedere videtur ad illud, quo usus est Hariri. Sed hoc prior erat Abu'l Walid, floruit enim Sec. XI in Hispania, mortuus anno Heg. 463. (Chr. 1070 vel 71.)

*Haec fere sunt, quae adhuc typis descripta novimus de genere poetico rhetoricoque, nec permulta illa, nec, ut nobis videtur, exquisitissima et omnium, quorum copia esse poterat, praestantissima. Subjungimus, ne uberior ad disputandum materia desideretur, nonnulla ad Psalmum centesimum decimum.*

I. Inscriptionem qui vertunt: de Davide psalmus, loquendi usum respuunt certum et constantem, quo ל prefixum significat auctorem carminis.

II. Ad Davidem si spectaret oraculum Jehovæ; dictum / א foret שֶׁב לְמַנִּי, f. שֶׁב לְמַנִּי hic idem valet ac שֶׁב עַל כָּסֵא לְוַיָּמִין. Etenim si Jehovah cogites ex ipsa sede sua regali pronuntiantem; omnino non est opus ipsius vocibus עַל כָּסֵא לְוַיָּמִין, at abesse non poterat: nequam enim Jehovah ipse imperio vult edere, sed vult sibi adsidere eum, quem compellat.

III. Vers. 2 verba utique sunt auctoris nomine dicta, sed post supplendum מִצְוָה. Sensus: hostes tuos non quidem protinus delebit Jehovah, sed tuæ potentiae metu injecto continebit.

IV. Vers. 3 in lectione haud quidquam mutandum. עַמְךָ מִרְחָם dictum pro נְדַבָּת ברבותה Verba --- resolvenda hoc modo, טַל יְלֹדוֹתךָ וַתָּהַפֵּל רָחֵם מִשְׁחָר:

V. Vers. 4 formula: *decreta Jehovah est, quod nunquam immutabit*, ita comparata, ut quod proximis verbis dicitur non possit non esse grande aliquid, eximum, singulare. Ferri nequit, ut ad ea, quæ præcedunt, trahatur illa formula.

VI. Vers. 5 *Adonai qui est ad dextram tuam non potest esse nisi qui consedit ad dextram Jehovah*, vers. 1. etenim pronomen ז non habet quo respiciat nisi nomen יהוה vers. 4. Est transitus sermonis e tertia persona in secundam, et עַל וַיְמִן עַל וַיְמִן possum pro יהוה אֱלֹהִים. Igitur et vers. 1. enuntiandum לְאָדָם.

VII. Vers. 6. יְדִין בְּגָוִים וַיהֲה כָּל גַּזְוָה מלא גַּזְוָה, animadvertis in geates (hostiles,) unaquaque erit cadaveribus plena.

VIII. Vers. 7. Cum fatigatus fuerit cæde hostium, tamen haud remittet, sed potu aquæ ex rivo obvio refectus novas vires exseret in hostilibus copiis profligandis.









D: De 50



